



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Oculus, Hoc Est: Fvndamentvm Opticvm

Scheiner, Christoph

Freiburg i. B., 1621

Cap. IIX. Partium Oculi situs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71258](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71258)

Magnitudines humorum ex his vtrunque deprehendi valent, interim experientia etiam adhiberi potest. Ego oculum taurinum adhuc calentem cautè aperui, Aqueumq; humorem proinde in Sphæram vitream excepi, quam semel totam, deinde dimidiam ex eo impleui: tum intrusi humorem Cristallinum ex eodem oculo, & Sphæram præcisè totam occupavit. itaq; Aqueus humor esset ad Cristallinum in proportione sesquialtera. Vitreus vtrunque longè excedit. Sed quanto nunquam tentavi. Poterit hoc quivis proprio Marte, labore non magno experiri. Hoc interim aduertat velim, humores istos præsertim Aqueum & Vitreum non semper eadem quantitate sinus suos implere. pro varia enim animalis temperie ipsi augentur & minuuntur, hoc dum corpus nimium arescit, illud dum plus æquo humectatur; hominibus enim multo vino madidis oculi plerumque turgent, quo fit vt Cornea tunica Aqueo humore distenta instar speculi niteat; quod idem iuuenibus ob humoris abundantiam accidit, qui propterea semper renidentes oculos habent. Senibus contra, aut mærentibus, vel fame sitiue confectis, nitor oculorum hebescit, quia Cornea tunica, deficiente humore Aqueo non nihil remittitur, confiditq; , quo fit vt terfo illo læuore spoliatur. Nimus humorum istorum affluxus dolorem oculi è tunicarum distensione generat. Quod manu vnusquisque explorare potest, rigescit enim bulbus oculi ita vt digitis atrectantibus instar pileæ vento inflatæ contumaciter resistat, quod non facit humorum mediocritate satur. Distensio illa dolorifica est comes frequentissima Catharorum. Sed hæc Medicis relinquamus.

SITVS ET COLLOCATIO ISTARVM PARTIVM.

CAPVT VIII.

Funda-
mentum
situs


EX allatis de situ atque collocaione istarum partium haud erit difficile iudicare, si certum fundamentum, & experientiâ ipsâ stabilitum, & communi doctorum auctoritate comprobaturum

tum posuerimus; circulum nimirum Processuum ciliarium iacere in basi communi tunice Corneæ, & tunice Sclerodis, & in se habere bases Vuae, Choroidis, Hyaloidis anterioris & posterioris; Aranæ anticæ & posticæ. His enim positis, & capite priore satis explicatis, dabitur cuilibet parti suus locus; nam centra omnium humorum & tunicarum in vnâ rectâ lineâ, quæ axis opticus dicitur collocari, certius est, quàm vt probari debeat: conspirante præsertim omnium omnino Opticorum, Medicorum atque Philosophorum vnanimi doctrina. Cuius veritas magis elucescet, si oculis subijciatur oculus.

SECTIO OCULI PER AXEM ET NERVVM OPTICVM.

CAPVT. IX.

Si linea AB, transuersa oculi diametrus, diuisa in 12. æquas portiones, è cuius medio puncto C, descriptus sit semicirculus ADB, recta verò DE, per centrum C. diametro AB ad re-
ctos traducta, sit axis opticus, cuius semissem CE, partieris in tria æqualia CF, FG, & GE; Si igitur per G recta occulta agatur HGI, parallela diametro AB, & ex centro F ad interuallum FE describatur arcus HEI, referet is externam Corneæ tunice superficiem, quæ si ex centris K & L, plus minus ad interualla KA atque LB descriptis arcibus HA & IB continuetur, emerget tunice Consolidatiuæ facies HADBI ad tunicam Corneam continuata iuxta H & I. Vbi autem hæ duæ tunice committuntur ad H & I, Inde Processus ciliares HM atq; IN pergunt rectâ ad Crystallinum humorem, MN quem medium complexi radiis suis MGN peñtinatim Retinæ tunice concretis obumbrant. Tunica extima crassissima annulo albo designata, est



C 2 Sclero-